



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Amor inordinatus ad creaturas, vt oculum mentis excæcet, quiq[ue] is
mortificandus sit. Can. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Amor inordinatus ad creaturas vt oculum mentis excæcet
quig is mortificandus sit.*

CANON XIV.

Impedimentum spiritualis profectus secundum est, amor inordinatus ad creaturas. Hic amor ex quolibet rerum euentu facile cor humanum inquietat, vt amore, odio, gaudio, dolore, solitudine aut tepore interior oculus turbatus neq; Deum, neque seipsum, neque quid rectum sit, valeat cognoscere. Quapropter si pacē optas cordis, oportet vt cor tuum ab amore creaturarum mundum ac liberum serues, & omnia vndecunque tibi eueniant diuinæ prouidentix securè committas; curas tuas & cogitationes omnes in illum proiciendo, obseruans, vt nihil in te quiescat, nihil intret mentem tuam nisi Deus. Da terram pro cælo, mundum pro Deo. Vilia sunt omnia quæ in mundo sunt, indigniora, quam vt illis inhæreas. Hoc sit aliorum qui de hoc mundo sunt, pro quo Christus non dignabatur orare. Non potes duobus dominis placere, nec diuersa amare. Si vis scire quid amas, attende quid frequentius cogites. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Ioan. 17

Matt 6

*Sensualitas immortificata quanta damna animæ inferat: quomodo-
que ea per continentiam omnium sensuum reëtificanda sit.*

CANON XV.

Tertium quod impedit hominem à spirituali profectu, est immortificatio sensualitatis, quia nimis proni exfruuntur se homines ad oblectamenta sensuum, & solacia naturæ præter necessitatem aut rationabilem discretionem: vt est in cibo & potu, in verbis, personis, rebus & occupationibus, modisve aliis tum vanis, tum curiosis, per quæ internam pacem, deuotionem sensibilem, ac Dei gratiam siue amittunt, siue præpediunt, seminantes in carne, de qua simul & merent corruptionem. Tu verò continens esto sensuum tuorum, desiderijs & concupiscentijs tuis viriliter reluctando, occasionibus & irritamenta fugiendo, atque ad contrarias virtutes te ipsum vi retrahendo, donec mortificatus vitijs ac passionibus, sensualitas ipsa sponte obediatur spiritui.

1 Cor. 16
Galat. 6.

*Vt omnis superbia per veram, profundam, deuotamque humilitatem
mortificanda sit: quomodoque eadem humilitas obtineri pos-
sit: quod item eadem obtenta efficiat.*

CANON XVI.

Quartum impedimentum spiritualis profectus est, superbia, inanis gloria, sui æstimatio siue complacentia, & desiderium, siue gaudium, quo multi requiescunt in fauore, laude & æstimatione hominum: propter hæc vitia multi dereſnquuntur à Deo, quia cum sanos æstimant seipſos, non querunt, neque admittunt remedia. Tibi igitur quum sit maximè necessaria vera humilitas (quæ sola via est tutissima ad Deum, ex qua germinat omne bonum) hanc tibi ita compares, vt indefinenter pro illa Deum roges, æstimens te adhuc superbissimum, simplicissimum. Insuper omni tempore præ oculis habe inſinitam maiestatem, sapien-
tiam